



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Officia Propria Ecclesiae Et Dioecesis Paderbornensis**

**Asseburg, Wilhelm Anton von der  
Paderbornae, 1764**

III. S. Huberti Ep. & Conf. Dupl.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62764](#)

*Die III. Novembris.*

# S. HUBERTI EPISC. CONF.

*Duplex Diaconus.*

*Omnia de comm. Conf. Pont. præter seq.*

*Oratio.*

**D**eus qui perennem gloriam, sancti Huberti Confessoris tui atque Pontificis animæ contulisti: tribue quæsumus, ejus nos apud te ita patrocinii adjuvari, ut cum eo vitam possideamus æternam. Per Dominum  
*Et fit commem. Oct. omnium Sanctorum.*

## IN I. NOCTURNO.

*Lectio de Scriptura occurrente.*

## IN II. NOCTURNO.

*Lectio IV.*

**H**ubertus, proximus post sanctum Lambertum Tongrensis Episcopus, ubi primum Pontificalem apicem consecutus est, facultates universas, quæ supererant, in egenos distribuit; & se totum charitatis officiis dedit: ut, nutricius pauperum, pater orphanorum, viduarum & mi-

serorum omnium benignissimus pa-  
tronus, semper sit nominatus. Ca-  
stitatem animi & corporis eximiè co-  
luit; quam jejunio, vigiliis, & ora-  
tionibus mirificè deditus integrum  
& incorruptam conservavit.

R<sup>e</sup>. Inveni David.

*Lectio V.*

**R**ejectâ verò rerum temporalium  
curâ, gregi suo solicite invigi-  
labat; nec ullos pro eo labores refu-  
giebat. Hujus operâ per Taxandri-  
am, ab antecessore sancto Lamberto  
conversam, & vicinam Brabantiam,  
infideles adhuc reliqui cum totâ Ar-  
dennâ, Gentilitatis superstitionibus  
abjuratis, ad veritatis agnitionem  
pervenerunt. Idolorum etiam delu-  
bris subversis, multæ Christiano ritu  
Ecclesiæ partim è fundamentis ab ip-  
so constructæ, partim, quæ collapsæ  
fuerant, amplissimis muneribus sunt  
exornatae. Ac in his Leodii alteram

dica-

dicavit Apostolorum Principi, sancto Lamberto verò, in martyrii loco, augustissimam alteram; in quâ ejus corpus, Dei jussu, Trajecto simul cum Pontificali sede translatum, Episcopatûs sui anno decimo tertio, suminâ cum reverentiâ ac pietate condidit. *R. Posui adjutorium.*

*Lectio VI.*

In hoc autem tanto religionis propagandæ studio, generosum Pontificis animum non parùm cruciabat, quòd inter efferatas gentes, diaboli regno deleto, Christi nomen, cum certissimo quidem vitæ discrimine celebrare, nec tamen præclara Lambertiidecessoris merita assequi martyrii gloria liceret. Angelico dein monitu cùm mortem imminentem didicisset, annum integrum Sanctorum obivit memorias, eorum suffragiis, continuis jejuniis, precibus, ac lacrymis, animam Deo commen-

dans & ad cœlestem patriam crebris  
gemitibus suspirans, tandem ex Bra-  
bantiâ, quorundam illustrium viro-  
rum rogatu novâ Basilicâ consecratâ,  
domum rediens, in itinere febri cor-  
ripitur apud Furam vicum: ubi, post  
piam discipulorum admonitionem,  
ac symboli Apostolorum & orationis  
Dominicæ recitationem, manibus  
in cælum elevatis, ex hac vitâ felici-  
ter emigravit.

**R.** Iste est.

IN III. NOCTURNO.

*Homilia in Evangelium: Homo pe-  
regrè, de comm. Conf. Pont. Miss.  
Statuit.*

*Dominicâ ante Adventum, quæ est ultima  
Nov. celebr. in Diœces. Paderb.*

**FEST. PRÆSENTAT. B. M. V.**  
Duplex Majus.

OF-